



Acta sanctorum

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur, quae
ex Latinis et Græcis, aliarumque gentium antiquis monumentis

Quo dies duodecimus, decimus tertius et decimus quartus continentur

Bolland, Johannes

Parisiis et Romae, 1868

Synopsis Tomi Sexti De Actis Sanctorum Octobris.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71232)

SYNOPSIS

TOMI SEXTI

DE ACTIS SANCTORUM OCTOBRIS

Prodit tandem post varias vicissitudines remorasque illi injectas tomus universi Operis supra quinquagesimum quartus, diem complexus duodecimum, decimum tertium, ac decimum quartum; Sanctos vero Beatosve, nominatim cognitos, præter complures alios, quorum latent nomina, septem et septuaginta, quos quatuor in classes recepto more partimur: harum prima viros, qui statum ecclesiasticum; altera, qui monasticum; tertia, qui secularem; quarta vero feminas universim, quæ seculum suum exornarunt, eo, quo hoc in tomo occurrunt ordine, exhibet.

EX STATU ECCLESIASTICO.

Agmen hac in classe ducit *S. Eustachius* presbyter, qui et martyr verosimilius fuit: hunc proxime sequitur *Monas* Mediolanensis seculo III episcopus, cujus ex Ms. Mediolanensi pervetusto Vitam exhibemus. Seculo sequenti *Maximilianus* episcopus fuit, Celestæ in Norico martyrium passus, de cuius gestis cultuque fuse disserimus; Acta ejus ex Pezio damus, cum aliis Mss. collata. Laude Pompeia *Julianus* episcopus confessor floruit; quo tempore, discutimus. Idem præstitutum est in *Opilio* diacono confessore Placentiæ in Italia. Pluribus multo actum est de *Pantulo* Rauracorum episcopo Martyre; sed quæ ad examen, ubi de *S. Ursula* agetur, revocanda sunt. *Cypriani* et *Felicis* Sociorumque 4976 partim Martyrum, partim Confessorum, Acta nobis suppeditavit Victor Vitensis: in Commentario his prævio, num Socii fuerint promiscui sexus, num *Felix* Collationi Carthaginensi anni 484 interfuerit, discussum est. Alii ab his sunt, quos ad diem VII Decembris Græci colunt. *Ficus* episcopus Sleptensis in Hibernia, quando conversus fuerit, quo usque vixerit, num Hymnum in *S. Patritii* laudem composuerit, inquirimus. Pauca dumtaxat de *S. Salvino*, episcopo Confessore Veronæ in Italia, pauca de *Rodobaldo* Ticinensi episcopo Confessore comperta habemus. *Theophilum* Antiochenum in Syria episcopum et Confessorem, optime de Ecclesia universa meritum,

mirum est in solis Fastis Latinis celebrari. Non est is de quo *S. Lucas*: tempus episcopatus ejus assignamus; scripta recensemus, doctrinam ut Catholicam tuemur. Seculo IV media sui parte elapso, in diocesi Trevirensi *Lubentius* Confessor parochus floruit: Acta ejus seculo incerto scripta. *Romali* episcopi Januensis utcumque ætatem, cultumque assignamus: quando qualiscumque ejus Vita scripta fuerit, exponimus. *Callisti* Pontificis Martyris Acta, etsi non a notariis Romanis scripta, nec omni nãvo carentia, magnæ tamen sunt antiquitatis fideique non contemnendæ: quæ objici his passim solent, diluimus; quæque porro ad *S. Pontificis* Gesta cultumque sacrum longe diffusum spectant, late sumus persecuti. Acta fabulosa *Gaudentii* Ariminensis episcopi Martyris corrigimus; varia de Reliquiarum ejus inventionibus, translationibus ac apud Belgas cultu referimus. *Celestis* seu *Celestii* Metensis episcopi Acta non sunt visa prelo digna; quorum tamen errores refellimus; additis nonnullis de Reliquiarum ejus translatione, et ætate, qua Metis sedit, ac obiit. Exigua quoque superest eorum, quæ *S. Donatiani* episcopi Remensis Confessor gessit, notitia; at celebris est ejus in Flandriam translatio: Ebonis ea de re litteræ vindicantur, ex iisque translationis epocha statuitur; translato Brugas ejus corpore, cultus incrementum capit; Breviaria quædam corriguntur; quando Remis sederit, determinatur; miracula, quibus claruit, eduntur, notisque illustrantur. Appendix visitationum translationumque Reliquiarum ejus, ab anno 1584 factarum, Acta authentica exhibet. *Fortunatus*, in Pictavis natus, Tuderinam in Umbria ecclesiam novennio rexit, cujus Reliquiis, a variis Pontificibus approbatis, anno 1569 insignis honor est habitus: Gestorum ejus notitiam præbuit *S. Gregorius Magnus* in Dialogis. *Rustici*, Trevirensis episcopi, Gesta ex una *S. Goaris* Vita innotescent: de ejus ætate ordineque, quo Trevis sederit, disserimus. *Agrati* et *Casturi* cultus quidem certus est; at Agratum, licet in quibusdam episcoporum Viennensium Catalogis non memoretur, Viennæ Allobrogum vere sedisse contendimus: *Casturi* episcopatus nobis incertus: de ordine temporeque quo sederit *Agratus*, disputandum pluribus fuit.

EX

EX STATU MONASTICO.

Seraphicus S. Francisci Ordo Ecclesiae peperit *Seraphinum Asculanum* seu a monte *Granario*, ex PP. Capucinatorum familia laicum, cujus Vitam a Zacharia Boverio conscriptam damus, *Venantius* abbas antiquior est, quam ut Ordini Benedictino adscribi possit: Acta ex Gregorio Turonensi deprompta illustramus: *Congani* abbatis Confessoris in Scotia ex Breviario Aberdonensi retulimus. Plura de S. *Stimperto*, Confessore, ex monacho Benedictino Augustae Vindelicorum episcopo ad manum fuere: unde et fusius agere de illo licuit. *Lucæ* ex Ordine S. Basilii abbatis Vitam discipulus ejus Græce descripsit, Latinam fecit anonymus rudi stylo, ediditque Cajetanus modice immutatam. Anonymi quidem apographum habemus; at legi non potuit. *Mauritium* Langoneti in Britannia Minori abbatem suppeditavit Ordo Cisterciensis, cujus Gesta ex Angelo Manrique potissimum in Syllogem redeimus, Actis destituti. *Danielem* vero, *Samuelem*, *Angelum*, *Donnum*, *Leonem*, *Nicolaum*, et *Hugolinum* Septæ in Mauritania Tingitana Martyres Ordo Franciscanus suppeditat; quorum Passionem ex antiquo Breviario Romano damus. *Burchardi* primi Herbipolensium episcopi Gesta Egilwardus in litteras misit, sed ordinem chronologicum turbavit, quem, qua licuit, restituumus; Egilwardo antiquior Anonymus *Burchardi* Gesta explicuit, sed admodum parce: damus utrumque. *Cosmæ* hymnographi et episcopi Majumensis gesta, Actis destituti, ex Vita Joannis Damasceni recensuimus: a magistro cognomine distinguendum ostendimus; quo tempore natus, quando monastico statui se dederit, episcopatum susceperit, ex hac vita migrarit, ac ubi sepulturam nactus sit inquirimus. Acta *B. Dominici Loricati*, monachi Camaldulensis, a S. Petro Damiani, synchrono et contubernali, scripta lectori sistimus. Neque anno 995, neque Fulgii natus, at Damiani disciplina anno 1043 se subjecisse, anno 1059 eremi Suavicinæ præfectum egisse, obiisse verosimilium anno 1060, Commentarius Actis præuius ostendit; agitque præterea de translationibus corporis, locisque, ubi Beati Reliquiæ coluntur.

EX STATU SECULARI.

In hac classe primi occurrunt *Evagrius*, *Prosiria*, *Burrus*, *Donatus* seu *Donata* martyres in Syria, quos Hieronymiani codices suppeditarunt. *Hedistii* Martyris palestra non Roma, sed Ravenna fuit. *Edwinum*, Nordhumbriæ in Anglia regem legitimum a S. Paulino conversum, dein occisum in prælio, ab arrogantia, Bedam a credulitatis vitio vindicamus. *Amicus* et *Amelius* pro Martyribus coluntur Novariæ et Mediolani, licet in bello occisi; at eorum Acta prelo digna non sunt visa. Cordubam, Bæticiæ urbem fuso

pro Christo sanguine illustrarunt *Faustus*, *Januarius* et *Martialis*, late per Hispaniam culti, et in Fastis tum antiquis, tum recentioribus celebres. Difficultates in eorum Actis occurrentes dissolvimus. Chalcedonem verosimilium illustrarunt item Martyres *Marcellus* et *Adrianus*; Thessalonicam *Florentius*, de quo, præter locum natalem et genus martyrii vix quidquam scitur. *Leobonus* Confessor in Lemovicensi Provincia cultus ex Lemovicensis ecclesiae Breviario potissimum nobis innotuit. *Geraldi*, comitis Auriliacensis, gesta cultumque ample describimus: Vitam vero, Annotatis variis illustratam, edimus, a S. Odone, abbate Cluniacensi, integra fide conscriptam. *Colmani*, Martyris cultu in Austria gavisus, ibidemque suspensio necati Acta Erchenfrido Mellicensi abbati tribui solita, partim scripsisse videtur anonymus æqualis. Plura sunt defuncti miracula, cultusque sacer per Austriam vicinasque provincias longe diffusus. *Fortunata* Virginis ejusque fratrum *Carponii*, *Evaristi* et *Prisciani* Martyrum Cæsareæ in Palæstina passorum, ac dein Neapolim translatorum, Passio Autpertum presbyterum habet auctorem a martyrii epocha satis remotum. Antiquum eorum cultum, Reliquiarum translationes, miracula exhibemus. *Saturninus*, *Lupus*, *Ampodus*, *Modestus*, *Lucianus*, *Simplicius*, *Saturus*, *Placidus* martyres in Cappadocia passi sunt, e quibus *Saturninus* et *Lupus* Hispaniæ, *Ampodus* vero et *Modestus* Romæ perperam adscribuntur. *Lupus* vero alter una cum *Aurelia* Virgine verosimillime Hispaniæ tribuendus est. Agmen claudit *Bernardus* Confessor, Arpini quidem initio seculi XII forte mortuus, sed dein Arcanum translatus; de quo pauca explorata sunt, ut qui Arpinum peregre venerit, ibique parum notus in coelestem patriam transierit: quæ post ejus obitum contigere, damus ex Ms. Arpini vel Arcani servato.

EX SEXU FEMINEO.

Sanctas inter feminas prima comparet *Domina* Martyr Anazarbi in Cilicia, e Monumentis Græcis eruta. Apud Sanctum Serenum in Cadurcis *Speria* seu *Exuperia* pro Martyre merito colitur. *Fyncanæ* et *Findoche* Virginum in Hibernia cultum ex Breviario Aberdonensi hausimus. Insigni austeritate vitæ in Latio claruit *Chelidonia* Virgo, cujus Acta damus ex Wilhelmo Narniensi, monacho Sublacensi, qui anonymum Chelidoniæ æqualem præ oculis habuit, et celebrem S. Virginis anno 1578 suaque ætate factam translationem eleganti stylo descripsit. *Manechildis* Virgo, oppidi cognominis in diocesi Catalaunensi Patrona, tum in hac, tum in diocesi Bituricensi potissimum colitur: Gesta ejus breviter, pertringuimus, plura damus de Reliquiis: subdimus Acta ex veteri codice Ms. oppidi et castri, cui illa nomen dedit. *Angadrismam* Virginem et abbatissam territorium Teruanense mundo dedit; Gesta ejus et cultum in Syllogem redeimus; Adrevaldi de *Angadrisma* fabulam explosimus.